

theol.  
549

theol 25 hq

Sib 487,34

POSITIONES  
OGMATICO - HISTORICO  
SCHOLASTICO - THEOLOGICÆ,  
<sup>DE</sup>  
**SACRAMENTIS**  
IN GENERE  
<sup>NEC NON</sup>  
<sup>DE</sup>  
**BAPTISMO, CONFIRMATIONE,**  
**EUCHARISTIA**  
IN SPECIE,  
<sup>QUAS</sup>  
AUSPICE SACRAMENTORUM AUTHORE  
**JESU CHRISTO,**

PRÆSIDE  
P. F. ARSENIO SAUTTER ORD. PRÆD.  
SS. THEOLOGIÆ LECTORE ORDINARIO,  
PROPUGNABIT

P. F. WENDELINUS CLOSTERMATR  
EJUSDEM ORDINIS AC STUDII ALUMNUS.

Eustadii in Templo Prædicatorio, Anno MDCLXIX.  
Die xxvii. Mensis Julii, Horis 1. II. III. Pomeridianis.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Ibidem

Typis Mariæ Elisabethæ Straußin, Typogr. Aul. & Vid.

PONTOINE  
DOGMATICO-HISTORICO  
SCHOLASTICO

**S**i discernimus duo Testamenta, Vetus, & Novum, non sunt eadem Sacra menta, nec eadem promissa; eadem tamen pleraque præcepta... Præcepta eadem, Sacra menta non eadem, promissa non eadem. Videamus, quare præcepta eadem; quia secundum hæc Deo servire debemus. Sacra menta non eadem; quia alia sunt Sacra menta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacra menta novi Testamenti dant salutem: Sacra menta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem... Mutata sunt Sacra menta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, felicia. **S. AUGUST.** Enarrat, in Psalm, LXXIII.



Univ. Bibl. in Erlangen  
München

# DE SACRAMENTIS IN GENERE.

## I.

Sacramentum nec mera externa fidei protestatio ; nec nuda divinæ in nos Misericordiæ testificatio , aut promissionum divinarum significatio est , uti Sectarii prætendunt ; sed signum rei sacræ sanctificantis homines , sensibile , permanens , a DEO institutum.

II. In Lege Naturæ aliquod Sacramentum , tanquam Remedium contra originale saltem pro parvulis extitisse , satis fundate conjecturat S. Augustinus l. 5. cont. Julian. c. 11 , & Innocentius III. cap. Majores.

III. Plurium in Lege scripta Sacramentorum existentiam clare ex Florentini & Tridentini Decretis , ac variis Patrum loquendi formulis colligimus.

IV. In Lege Evangelica septem , nec plura , nec pauciora dari Sacra menta , Verbi divini tum scripti , tum traditi oraculis , ac constanti utriusque Ecclesiæ confessione docemur. Erubescere merito deberent Protestantes , quoties suam Augustanam Confessionem , duo tantum Sacramenta statuentem , non solum a Latinis Romæ , & Tridenti ; sed & a Græcis Constantinopoli , ac Jerosolymis funesto anathematis fulmine confixam reminiscuntur.

V. Omnia N. L. Sacra menta , ceu composita physico - moralia , rebus quasi materia , & verbis quasi forma constare , Dogma est , eo certius , quo clarius in utroque prælaudato Concilio decisum.

VI. Formæ conditionalis ante Sæculum viii. in Ecclesiæ fastis nullum reperimus vestigium. Post Caroli M. Capitulationes in quibusdam privatis Ecclesiis : post Gregorii IX. Decretales , sufficienter promulgatas , in universa demum Ecclesia adhiberi cœpit.

VII. Non fides confidentialis in CHRISTUM , per Sacramentalem ritum excitanda ; sed ipsa Sacra menta non ponentibus obicem Gratiam Sanctificantem , & Iustitiam ex opere operato conferunt. Quidquid in contrarium Novatores obmurmurent.

## VIII.

VIII. Per tria Sacra menta ( Baptisnum , Confirmationem , & Ordinem ) Characterem spiritualem, ac indelebilem animæ imprimi; primæva , ad nos usque propagata Traditio , & repetita Ecclesiæ definitio est.

IX. Sacramentorum Author idem, qui Ecclesiæ Fundator , CHRISTUS JESUS , Apostolos ut Sacramentorum quorundam Promulgatores; non ut Institutores veneramur.

X. Minister bonus & fidelis sua probitate ad Sacramenti valorem nihil confert, nec malus aut infidelis sua nequitia quidquam aufert ; du modo seriam, non solum externam, sed & internam, saltem generali habeat intentionem.

XI. Rebaptizantium errorem aperte primus omnium Agrippinus Carthaginensium Antistes invexit. Eundem adoptarunt, & tanquam fidei veritatem acriter propugnarunt S. Cyprianus, Firmilianus , aliquie Africæ , & Orientis Episcopi.

XII. Stephanus PP. circa hanc controversiam nihil definitive decidit; multo minus, omnium promiscue hæreticorum baptisma approbando, ad hæresin oppositam transit.

XIII. Concilium plenarium , transmarinum , in quo Rebaptizantium tumultus sopitos, imo sublatos esse, S. Augustinus l. 2. de baptif. c. 9. scribit, verisimilius non Arelatense , sed Nicænum I. fuit.

XIV. Peccatori occulto occulte , publico publice Sacramentum , a Pœnitentia diversum, postulanti justissime denegatur petitum.

## DE BAPTISMO.

### I.

Baptismus Sacramentum regenerationis est , per lavacrum aquæ , in verbo vitæ. Latam inter CHRISTI , & Joannis Baptismata qui differentiam non cernunt , certe cum Luthero , aut Calvinio cæcutiunt.

II. Liquidam Baptismi materiam nec vinea, nec chymia ; sed simplex fons , aut flumen præbet; quæ , sive per immersionem , sive per affusionem unam, vel trinam applicata , sufficienter corpus abluit. Can. de trina. de consecr. dist. 4.

III. Forma Baptismi valida distinctam trium Divinarum Personarum, Actionis baptizandi , & Personæ baptizandæ expressionem contineat, necessum est. Quæ cum omnia in forma tam Latinorum , quam Græcorum involvantur , utraque legitima erit , atque conveniens.

### IV.

IV. Baptisma in solo nomine CHRISTI collatum irritum est , semper fuit , non obstante Nicolai I. Rescripto ad Consultat. Bulgarorum. Apostolos vero in solo IESU Nomine speciali ex privilegio quandoque baptizasse , nec ex sacra historia , nec quibusvis ex rationum momentis evincitur.

V. In mira ad Jordanis aquas apparitione non præfigurata ; sed exercite facta est Baptismi institutio , ubi Pater in nube , Filius in carne , Spiritus S. in columba adfuit.

VI. Baptismi Lex primum post Passionem , & Resurrectionem Matth. ult. est lata , ubi Salvator suos discipulos hunc in modum est affatus : Data est mihi omnis potestas in cœlo , & in terra . Euntes ergo docete omnes gentes , baptizantes eos in Nomine Patris , & Filii , & Spiritus S. Hinc

VII. Necesitas Baptismi ad omnes gentes , & gentium individua sese extendit , ita quidem , ut parvuli unico Baptismi humine ad Regna fidei transvehi ; adulti , a Tyrannide immunes , Baptismo vel fluminis , vel flaminis , peccata abstergere debeat.

VIII. Ordinarius Baptismi solemnis Minister vi ordinationis sue omnis , & solus Sacerdos est ; Diaconus nonnisi extraordinarius : unde absque urgente necessitate solmniter baptizare citra irregularitatis periculum non potest . Cap. Si quis . De cler. non ordinat. minist.

IX. Parvulos , adhuc in utero materno reclusos , haud satis fundate baptismi capaces declarant quidam Recentiores : semel in lucem editos stulte a Baptismo arcent Waldenses ; sacrilege rebaptizant Anabaptistæ.

X. Pueros infidelium & judæorum , Principibus christianis politice tantum subiectorum , illicite baptizat , quiunque baptizat ; cum injuriā vel invitis parentibus , vel Sacramento irroget satis palmarem.

## DE CONFIRMATIONE.

### I.

Confirmatio omnes Sacramenti proprie dicti , a Baptismo distincti , notas habet. Unde sfernenda Novatorum dictoria , quibus illam ceu inanem , ac otiosam ceremoniam impetunt.

II. De essentiali Confirmationis materia Doctores catholici illi verius sentire videntur , qui eam adæquate in Chrismatione , ac concomitante manus impositione sitam esse , tuentur.

III. Ritus , quo Chrisma per Episcopi benedictionem consecratur , nedum antiquissimus ; sed & ad Sacramenti valorem omnino necessarius

rius est. Opposita Scoti, aliorumque sententia hujus nostræ certitudinem, non probabilitatem elidit.

IV. Relictis variis, de Confirmationis forma varia opinantibus, cum Duce, & Doctore nostro Angelico, eam solummodo tanquam essentiali agnoscimus, quam Episcopus in Chrismationis actu pronuntiat.

V. Sacerdotem simplicem veluti ordinarium Confirmationis Ministerium prorsus inepte intrudere affectavit Photius. Neque audiendi Durandus, Estius, & alii, Presbyteris etiam extraordinarium Confirmandi Ministerium denegantes; hisce enim Conciliorum Decreta, & Pontificum Indulta non pauca refragantur.

VI. Confirmationis Necesitas tanta non est, ut de illorum, qui eam vel ignorant, vel secluso contemptu procastinant, æterna salute desperemus; quamvis præmaturam Sacramenti hujus saluberrimi susceptionem omnibus summopere commendemus.

## DE SS. EUCHARISTIA.

### I.

CHRISTUS eo, quo passus est, anno Paschatis celebrationem nec omis sit, nec antevertit, sed consueto, a lege constituto die, luna scilicet decima quarta desinente, & decima quinta incipiente Agnum co-medit paschalem; adeoque panem azymum consecrando Ss. Eucharistiae instituit Sacramentum.

II. Unde nec judaicus, nec superstiosus est azymorum apud Latinos usus: sed rationabilis, & CHRISTI factō perquam conformis; licet panis fermentatus adhuc valide, & licite a Græcis adhibeatur.

III. Mysta ille in vanum laborat, qui panem ex tritico non confectionum aut vinum de vite non collectum consecrare attentat.

IV. Modicæ aquæ cum vino permixtio nullo præcepto divino; sed statuto mere ecclesiastico est introducta; valida itaque in solo vino facta consecratio. Utrum aqua prius in vinum converti possit? Physiologi viderint.

V. Salvator non solo interno voluntatis imperio; nec benedictione quadam ignota; sed verbis, adhuc hodie usitatis, palam prolatis, utramque consecravit speciem.

VI. Verba nec præcedentia: *Qui pridie &c.* ad formam Panis; nec subsequentia: *Novi Testamenti &c.* ad formam Calicis essentialē speßtant; clarius equidem priora Sacerdotis agendi modum, posteriora Sanguinis effectum, non ipsam conversionem significant.

VII. Nendum malos Theologos , sed laxos insuper Legistas Sacramentarii se exhibent , dum CHRISTI Legislatoris , ac Testatoris ultima verba ad vanos tropos , & metaphoras detorquent.

VIII. Nihilo melius aseclæ Lutheri audiunt , qui Deum aut impantanum , aut farinaceis panis pannis involutum intra cordis sui palatum recipere credunt.

IX. Facta semel consecratione nec panem , nec vinum ; sed solum CHRISTUM , DEUM , & Hominem vere realiter sub speciebus eucharisticis contineri sacer insinuat Textus , confirmat Traditio , ac multiplex convenientiae persuadet Ratio.

X. Miram hanc CHRISTI DOMINI præsentiam ad breve admodum vel manductionis , vel asservationis tempus plane arbitrarie post Melanchthonem Lutherani restringunt ; defectionis siquidem tam subitanæ radicem nec Scriptura , nec Ratio detegit.

XI. Sancta igitur , ac ab omni idolatriæ suspicione immunis illa Catholicorum consuetudo ; qua Panem Angelorum , ad ægrotos deporandum in Tabernaculis asservant ; devote adorandum in Templis exponunt ; publice magnificandum in Processionibus circumferunt.

XII. Religiosus pariter , ac pius Summi Pontificis Urbani IV. zelus , qui Ss. mi Corporis CHRISTI Festum , Leodii jamjam introductum , data Bulla ad universam Ecclesiam extendit ; solemniique pompa quotannis celebrari præcepit.

XIII. Devotissimum huic Festivitati correspondens Officium totum D. THOMÆ AQUINATI , ceu Authori , debemus , qui aliunde suis in Scriptis adeo perspicue , pulchre , ac solide de hoc Sacramento discurrit , ut tanquam bonus Scriptor ab incarnata DEI Sapientia commendari ; ac tanquam Eucharisticus Doct̄or passim ab Eruditis salutari sit meritus.

XIV. Sublimis Eucharistiam conficiendi Potestas non Diaconis , multo minus Laicis ; sed solis Presbyteris competit , quibus & congruit , ut sumant , & dent cæteris.

XV. Diaconis Corporis & Sanguinis CHRISTI Dispensationem committi posse , antiqua Ecclesiæ praxis commonistrat. Laicos olim panem Eucharisticum , mundis linteolis involutum , arculis inclusum quandoque domum reportasse , ibidem asservasse , novimus ; Eundem vero aliis proprie dispensasse , nullibi scriptum invenimus.

XVI. Adulti ad Sacram Synaxin aliquoties , & præprimis in mortis articulo suscipiendam præcepto divino ; ad Eam singulis annis sumendum præcepto ecclesiastico obligantur. Cap. *Omnis utriusque. de penit.* & *remit.*

XVII. Huic Ecclesiæ præcepto minime satisfacit , qui sacram Buc-  
cellam velut alter Judas dente sacrilego premit. Hinc haud immerito  
contraria nostræ ab Innocentio XI. proscripta est propositi.

XVIII. Calicis usus de Jure divino omnibus Fidelibus ex æquo non  
debetur : primis Ecclesiæ sœculis etiam Laicis est concessus ; justissimis  
tamen ex caussis postea iterum denegatus.

XIX. Eucharistia , ritu liturgico legitime confecta , nedum Sacra-  
menti ; sed & Sacrificii incruenti Dignitate eminet ; unde nihil omnino  
obstar , quo minus in propitiationem &c. tam pro vivis , quam pro  
defunctis DEO offeratur.

XX. Adeo pia, ac utilis est Missarum privatarum celebratio , ut non  
nisi suadente , & urgente diabolo eam Lutherus abrogaret. Hujus facti,  
vel potius delicti , optima probatio , est propria Martini confessio.  
*Lib. de abrog. Miss. privat.*

## I. O. G. D.

